



**S**anctus Burckardus innocētia & eruditione insignis, eo tempore cum S. Bonifacius Christianam religionem per Germaniam plantaret, ipsum præceptorem suum sedulò audiuit, atque sua prædicatione multos homines ad Baptismū pellexit. Vnde ab eodē primus Ecclesiæ Vvurtzburgensis Episcopus ordinatus fuit, anno Christi septingentesimo quinquagesimo primo. Hunc Burckardus Pipinus Francus Romam ad Zachariam Pontificem misit, ut eius sententiam perquireret, utrum is potius Francorum rex diceretur, qui sua prudentia & fortitudine omnia gubernaret, aut ille qui præter nomen nihil in regno haberet, & omnem administrationem negligeret? Tum Pontifex iudicauit eum meritò regem existere, qui suis uirtutibus & laboribus regnum administraret. Hanc sententiam cum Burckardus retulisset, Pipinus Childericum regem ex Clodouei stirpe ultimum sua sede eiecit, atque monasterio inclusit, ipse uerò ex Maiore domus rex Franciæ factus est. Pontifex etiam qui Casaris potentiam in Italia formidarat, & Francorum ope fretus, eum expellere statuerat, Francos iuramento Childerico prius præstito absoluit, atque Pipino regnum confirmauit.